

## *Sequentia*

**Lauda, Sion, Salvatorem, lauda ducem  
et pastorem in hymnis et canticis.**

**Quantum potes, tantum aude : quia  
major omni laude, nec laudare sufficis.**

**Laudis thema specialis, panis vivus  
et vitalis hodie proponitur.**

**Quem in sacrae mensa coenae, turbae  
fratrum duodenae datum non ambigitur.**

**Sit laus plena, sit sonora, sit jucunda,  
sit decora mentis jubilatio.**

**Dies enim solemnus agitur, in qua  
mensae prima recolitur hujus institutio.**

**In hac mensa novi Regis, novum  
Pascha novae legis Phase vetus terminat.**

**Vetustatem novitas, umbram fugat  
veritas, noctem lux eliminat.**

**Quod in coena Christus gessit,  
faciendum hoc expressit in sui  
memoriam.**

**Docti sacris institutis, panem, vinum  
in salutis consecramus hostiam.**

**Dogma datur Christianis, quod in  
carnem transit panis et vinum  
in sanguinem.**

**Q**uod non capis, quod non vides,  
animosa firmat fides, praeter rerum  
ordinem.

**S**ub diversis speciebus, signis tantum  
et non rebus, latent res eximiae.

**C**aro cibus, sanguis potus: manet  
tamen Christus totus sub utraque specie.

**A** sumente non concisus, non confractus,  
non divisus : integer accipitur.

**S**umit unus, sumunt mille: quantum  
isti, tantum ille: nec sumptus consumitur.

**S**umunt boni, sumunt mali : sorte  
tamen inaequali, vitae vel interitus.

**M**ors est malis, vita bonis : vide  
paris sumptionis quam sit dispar exitus.

**F**racto demum sacramento, ne  
vacilles, sed memento tantum esse  
sub fragmento quantum toto tegitur.

**N**ulla rei fit scissura : signi tantum  
fit fractura : qua nec status nec statura  
signati minuitur.

**E**cce panis Angelorum, factus cibus  
viatorum : vere panis filiorum, non  
mittendus canibus.

**I**n figuris praesignatur, cum Isaac  
immolatur : agnus paschae deputatur:  
datur manna patribus.

**B**one pastor, panis vere, Jesu,  
nostri miserere: tu nos pasce, nos tuere :  
tu nos bona fac videre in terra vi ventium.

**T**u, qui cuncta scis et vales, qui  
nos pascis hic mortales : tuos ibi  
commensales, coheredes et sodales  
fac sanctorum civium. Amen.